

A deniq; frustraneum furorem frendendo exprimit. Et illud expendendum, quod felicitas piorum, impiorum oculis olim obijcietur. qua de re vide Sap. 5.
Desiderium impiorum peribit. 2. Pulchrè tribuitur impijs tale desiderium, quod obtinere non poterunt. Quid autem molestius, quàm inani desiderio noctes ac dies fatigari, ac tandem ipsis oculis longè spectare diuersum?

PSALMVS CXIII.

ARGVMENTVM PSALMI.

Habet hic Psalmus adhortationem ad laudem Dei, qua serui Domini peculiariter inuitantur, vt nomen eius depradicent & extollant.

Halleluiah.

- A**VDATE serui Domini, laudate nomen Domini.
 2. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc tempore vsq; in seculum.
 3. Ab ortu Solis vsq; ad occasum eius, laudetur nomen Domini.
 4. Excelsus super omnes gentes Dominus, supra caelos gloria eius.
 5. Quis est sicut Dominus Deus noster? qui se attollit ad praesidendum.
 6. Qui se demittit ad videndum cum in caelo, tum in terra.
 7. Qui erigit de pulueribus inopem, de stercorebus attollit egenum.
 8. Vt faciat eum sedere cum principibus, cum principibus populi sui.
 9. Qui habitare facit sterilem in domo, matrem de filijs letantem. Halleluiah.

VERS. I.

Laudate serui Domini.] Ebr. הללו עבדי יי ה' . Græc. αὐτῶν τῶν δούλων τοῦ κυρίου: id est, Laudate pueri Dominum. **LECTIO.**
 Sic reddidit & vulg. Lat. Arabs sic: Laudate Dominum serui Domini. Hieron. Laudate serui Dominum. Eccl. 1: Ver. 1.

Laudate ipsum serui Domini. Et Pagn. Laudate serui Domini. **VERS. 2.**

Laudetur nomen Domini.] Ebraicè est. מְהִלֵּל: id est, Laudatum. Vulgata Lat. Laudabile nomen Domini. **VERS. 3.**
 Sic & Hieron. & Felix, & Iustin. & Pagn. **VERS. 4.**

Qui se attollit ad praesidendum] Ebraicè est. מְרִבֵּה לְשֵׁבַת: id est, Exaltans ad sedendum. Quoniam vero sessionis dictio, pro regnandi maiestate in Scripturis sacris sumi solet, visum est reddere, Ad praesidendum. Græc. & vulg. Lat. Qui in altis habitat. Hieron. Qui in excelsis habitans. Felix: Qui se exaltat, vt habitet. Pagn. Qui eleuat ad habitandum. Chaldæus: Qui exaltat habitationem suam ad sedendum. Iustin. Qui altus ad sedendum. **VERS. 5.**

Qui se demittit ad videndum.] Ebr. מְשַׁפְּלֵי לְרִאיוֹן. Græc. & vulg. Lat. Et humilia respicit. Sic Hieron. **VERS. 6.**
 Chaldæus: Demittit oculos suos, vt videat. Felix: Qui se humiliat, vt respiciat. Pagn. Qui humiliat ad videndum. Iustin. Qui humilis ad videndum. Reliqua satis conueniunt.

Laudate serui Domini.] Parænesim habet primus hic versus, qua serui Domini, quicūq; illi sint, neque enim aliqui ex illis specialiter, ad laudandū nomen Domini Dei sui excitantur: Est autē emphasis in eo, quod bis dicit, *Laudate*. Sic enim visum est Prophetæ vrgere seruos Dei, vt seduli sint, & irremissi ad laudem Dei. **EXPLANATIO.**
VERS. 1.

Sit nomen Domini benedictum.] Hoc versu incipit formam seruis Domini prescribere, quomodo nomen Domini laudare debeant. Sit nomen Domini, inquit, benedictum. id est: Benedicatur nomen Domini. Est autem benedicti hoc loco, nihil aliud, quàm laudari ac celebrari. Duobus itaq; versibus istis, 2. & 3. docet seruos Dei, vt optent ex animo, vt nomen Domini, & semper, & vbiq; terrarum laudibus exollatur. Quod dicit: *Ex hoc tempore vsq; in seculum*: ad sempiternam diuinæ laudis diurnitatem refertur. quod versu 6. subiicit: *A Solis ortu vsq; ad occasum eius*: ad hoc pertinet, vt passim & vbiq; in toto terrarum Orbe gloriosum sit nomen Dei. **VERS. 3. & 3.**

Excelsus super omnes gentes Dominus.] Ab hoc versu ad finem vsq; Psalmi, quasi rationē reddit, quare optandum sit seruis Dei, vt nomen eius non in Iudæa tantum, sed & toto terrarū Orbe inter cunctas gentes & nationes laudetur. Excelsus, inquit, super omnes gentes Dominus. hoc est: Dominus est, rex est, potens est: dominium ac regnum habet non solum super Israël, sed & super omnes gentes, quotquot à Solis ortu ad occasum vsq; Orbem hunc incolunt. Conuenit igitur, vt nō in Iudæa tantum, sed & in cunctis totius Orbis nationibus gloriosum sit nomen eius. Illud, *Supra caelos gloria eius*, amplificationis gratia adiectum est. Quasi dicat: Non solum terræ huius incolas, sed & ipsos caelos excellit diuinæ potentiae maiestas: vt mirum non sit, si laudetur ab vniuersis gentibus. **VERS. 4.**

Quis est sicut Dominus Deus noster?] Vt Dominum Deum omnibus in vniuersum potentibus praeferrat, sic vt nec in caelo, nec in terra parem habeat, in hanc exclamationē prorumpit, & quasi insultat vniuersis, qui aliquid esse videntur, prouocans eos, vt prodeat aliquis, qui Domino Deo par esse possit, dicens: *Quis est sicut Dominus Deus noster?* Quasi dicat: Si non est ille cunctis eminentior gentibus, si gloria eius caelos non excellit, age date aliquem in caelo, date aliquem in terra, non dico, qui sublimior sit, sed qui par saltem & æqualis illi existat. **VERS. 5.**

Qui se attollit ad praesidendum.] Hinc ad finem vsq; adducit quædam, ad diuinam maiestatem pariter ac prouidentiam pertinentia, quæ sic de Deo praedicat, vt ea cunctis in vniuersum dijs ac potētibus adimat. Ad diuinam maiestatem pertinet, quod dicit *Dominum attollere se ad praesidendum*: id est, regni sui sedem in sublimi, in caelis videlicet, constituisse. Sic alibi dicit: Dominus, in caelo sedes eius. **Qui se**